

10

# ASSERTIONES IURIDICO-POLITICÆ.

JURE VENANDI.

*Desumptæ ex lib. 41. ff. tit. 1.*

*QVAS*

Auspice DEo Trino & Vno Deipara-  
qué Virgine.

**A**VTHORITA-  
TE ET CONSENSV NO-  
BILIVM, STRENVORVM, MAGNIFI-  
corum, Clarissimorum atq; Consultissimorum Virorum, &c.  
Magnifici Domini Rectoris, Spectabilis Domini Decani, &c. Dominorum  
Seniorum Inclytæ Facultatis Iuridicæ, Sac: Cæs: Majest: Consiliariorum, &c. Adeoque totius amplissimi Iuris Consultorum  
Collegij in antiquissima ac celeberrima Vniversi-  
tate Viennensi.

P R A E S I D E

*Nobili Clarissimo & Consultissimo Viro.*

**DNº FRIDERICO Brüner/**  
J.V. Doctore, Inclytæ Facultatis Juridicæ pro tempore  
Decano, nec non in prædicta Vniuersitate Pandectarum  
Professore ordinario, &c. Domino Fautore & Patrono suo  
colendissimo.

*PUBLICE DISCVTIENDAS PROPOONIT*

**CHRISTOPHORVS BALTHA-  
SAR à METTNIZ, Eques Inclytæ Archiducatus**

CARINTHIAE, Iuris Vtriusq; Candidatus  
ANNO M. DC. LII. die 23. Mensis July horis pomeridianis, in publico Au-  
ditorio D. Iuri. Consultorum.

VIENNÆ AVSTRIÆ, Typis JOANNIS JACOBI KÜRNER,  
Inferioris Austriae Typographi.

convenit usus cum usus ista in eo, qd iis den modis ostendit, qd usus  
usus ista est utriusque, et iudicium in modis finitum sententia et hic  
in pmi, et in l.i. ff. de usu & habitu: evniunt et in alijs usus  
sunt casibus, nempe qd usus ista servit usus qd a se pfectus debet  
l.i. 2. de servit: item qd usus ista in usum roborum tam  
mobiliis qm immobiliis existere potest s.l. et 2. hic  
item qd in utroq; casibus permanenda sit, utram supra in  
exposito definiens dictum est, nihilominus tamen in  
multis in alijs locis differunt, qd usum habet rebus tam  
ad peccatum usi potest, et o fructu, hinc merito pfectus  
fruendi in definiens omissa est. 2. differunt, qd usus ista  
arum utriusque sui usus ista in aliem transferre, et  
modicam, seu pceptioem fructuum alteri vendere  
locare, aut redire potest. Fere tamen usus ista apud  
de permanente, qd usus ista facere negatur. 3. hic  
et l. sed neq; loca sunt s.l. in pm. ff. s.l. l. arbor: 12.  
ff. usus: 2f. ff. de usus ista. 3. defra est, qd usus  
usus istum domus habet, o tamen in ipsa habitate sed  
aliis ad de recte pte usi domum alteri locari potest  
d. l. arbor. 4. 2. is u qd usum domus habet o nre can  
fuij cum uxore, liberis et familia eam  
inhabitare aliquid in hospite recipere potest s.l. item  
is h. b. l. 2. s.l. l. ceterum q. ff. codex. 4. differunt  
qd usus ista perorij et fermenti usum habet lanam, pilum  
hostiam, lac etc. o potest pceptere, et fermentis o nre ad  
arandum, et ad cetera ad qd apta s.e. peroribus a ad  
stercorandum uti potest, ita tamen ut modice lacte uti  
o pfectus s.l. sed et si peror: h. b. qd usum istum  
recorij habet, nam fortunam lac, pilum et lanam pcepit  
ta via ista in fructu numeram s.l. in period. 37.  
Sup' dererun divis: 5. differunt usus ista ab usu qd  
usus ista fructus pceptor, et o cunctis ad hanc  
legem trimitat, usus ista a fructu qd usus ae o trimitat  
sed qd proprietatum redeant l. uti fructus qd. s.l. si  
potest l. s.l. 4. ff. si usus ista petat, ita et alio in usum  
fructum et usum differat, quas videre est quid d.d. hic.

A.D. 15. Sed si cui et sequenter.

10  
**ILLVSTRISSIMIS, RE-  
VERENDISSIMIS, PERILLVSTIBVS,  
AC  
GENEROSIS DOMINIS, DOMINIS**

**INCLYTI ARCHI-  
DVCATVS CARINTHIÆ**

**S T A T I B V S  
DOMINIS ET PATRO-  
NIS MEIS COLENDISSIONIS  
AC GRATIOSISSIMIS.**

Ovum hodie in amplissimo IVRISPRUDENTIAE campo Venatorem acturus, ipse in retia incidi STATVS INCLYTI, quod dum Vestrae mihi texuerunt Gratiae, Amorem tetendit: in tam beatam ultra me captivitatem intuli, nunquam forte liberiori possum ad futura mea commoda emersurus, quem cum favor Vester me quam arctissime constrinxisset. Ita neque Illustres animos semper comparatos esse vidimus, ut quod in se ipsis cum immortali sua gloria exprimunt; hoc etiam in aliis suspiciant, id verò maximè quod cum salute Patriæ semper fuit conjunctissimum; quanquam quid IVRISPRUDENTIA conjunctius? quam scilicet Custodem legum, aequitatis vindicem, magistrum morum, firmamentum populi, concordiae vinculum, Lucem Senatus, Consilij oculum, animam Curiae, vitam Orbis

pridem sapientissimi quiqꝫ rerum estimatores suspexerunt,  
eradicarunt. Hæc enim est, que jucunda pacis ocia, ne  
osa sint, eruditâ lite discutit in Curia, hæc hostibus metam fixit  
oꝫ legum obstaculo totam iniqui belli incumbentem Patriæ  
olem non semel continuit: Et quem nec murus, nec armatus  
litum cuneus à populi excidio hostem repulit, eum sæpè una lex  
nuit æquitatis. Neqꝫ enim prius INTERARMA LE-  
ES SILENT, quam cum hinc aures Marti armorum obtun-  
strepitus, inde clamare cessat IUSTITIA, ne tunc quidem  
ita, cum linguam hostili ferro amisit. Verum id minimè in-  
tuti mei est, INCLYTI STATVS, ut illius nunc scientie  
udes prosequar, cuius gloriam illustrissimus jam pridem Vestris  
Patria Et Populo designatis consiliis in Vobis metipsis expres-  
is; Id unum votis meis abundè sufficiet, ut quam studii  
ei Iuridici partem Amori Et Honori Vestro demissè dedico, il-  
lum Et Vos eo animo excipiatis, quem sibi jure suo amica Po-  
tati IUSTITIA semper vendicavit. Vivite, valete Ego  
in retia Vesta sponte incidi, agite, ut possessio mei sit primi  
upantis. Ita vovet..

## INCLYTORVM STATVVM

Servus Et Cliens

CHRISTOPHORVS BALTHASAR  
à METTNIZ Eques Carinthus,  
J. U. Candidatus.

# THEISIS PRIMA.

**V**enatio (*a*) est jus seu facultas libera (*b*) investigandi, prosequendi, capiendoque feras (*c*) in nullius dominio existentes (*d*) jure divino (*e*) gentium (*f*) & civili (*g*) permissa.

(*a*) Venatio à ventis seu venis dicta jux. Pontan. vol. 3. progym. p. 2. coll. 77. Arumaeus vol. 3. de jure publ. pag. mihi 818. multiplex in jure reperitur. Alia enim dicitur oppressiva hominum. Machab. c. 7. v. 2. Ierem. c. 16. v. 16. Psal. 91. v. 3. alia bestiaria seu arenaria. l. 1. §. removet 6. ff. de postul. Nov. 105. c. 1. alia adulatoria, qua quis blandis & mellitis verbis à pseudopoliticis irretitus capitur, uti Cic. ad Heren. pro Cuent. laudem venari & occupari dixit: alia saltuosa, quæ fit in saltibus clamore & canibus, ut ait Wesenb. in parat. lib. & tit. hoc n. 7. aeria alia, quæ alias aucupium appellatur L. 3. §. 1. ff. eodem d. Wesenb. hoc lib. & tit. n. 7. Schneid. in Instit. lib. 2. tit. 1. n. 6. alia aqualis, quæ piscatio appellatur. §. feræ 12. Instit. hoc tit. hæ autem tres species, nimirum Venatio, aucupium, & piscatio, sub genere suo pro uno eodemq; hic sumuntur l. 2. & 3. hoc tit. §. Instit. eodem. Wesenb. hoc lib. & tit. d. n. (*b*) dicitur jus seu libera facultas loco generis, eo quod nomine juris seu facultatis jura tam realia qnam personalia comprehendantur. tot. tit. Inst. & ff. de servit. additur cum unicuiq; ea competit l. 1. ff. hoc tit. Andr. Fachin. in controver. juris lib. 1. cap. 1. (*c*) Harprecht, Instit. hoc tit. n. 263. dicitur autem feras ad excludendas mortuas, quæ feræ nomen non merentur. DD. in l. quod te s. ff. si certum petatur, item mansuetas, quæ capere non licet §. 10. Inst. hoc tit. (*d*) dicitur in nullius dominio existentia ad distinctionem earum ferarum, quæ custodia coercentur, aut quarum facilis est persecutio. lib. 2. Inst. hoc tit. §. feræ 12. (*e*) Genes. 1. v. 26. 18. & 30. Gen. 9. v. 2. Levit. 17. v. 13. Psal. 8. v. 8. & 9. & 5. Paulus 1. Corinth. 15. v. 27. (*f*) Instit. lib. 2. tit. hoc n. 5. (*g*) L. unica Cod. de venat. ferarum VVesenb. d. tit. n. & vers. Schneid. eod.

## I I.

**Q**væ cuilibet (*a*) quarumcunque ferarum (*b*) omni tempore (*c*) & loco (*d*) concessa est, nisi contrarium in jure reperiatur.

(*a*) arg. c. 1. gens. vers. 28. §. 12. Instit. lib. 2. tit. 1. lib. 13. ff. hoc tit. Schneid. hoc tit. n. 7. vers. nec quemquam, in tantum injuriarum actio competit contra prohibentem l. 2. §. si quis. 6. ne quid in loco publ. l. injuriarum 13. in fin. de injuriis Dec. Consil. 192 in casu. n. 2. (*b*) l. 1. §. un. ff. hoc tit. §. 12. Instit. hoc tit. (*c*) ea enim, quæ generaliter permitta sunt omni tempore concessa videntur, nisi specialiter prohibita reperiantur Dd. in l. de pretio ff. de pub. in rem act.

## I I I.

**P**rohibetur autem Venatio Clericis & Monachis (*a*) cui- cunque alij, si fiat cum periculo & damno proximi (*b*) aut immoderato affectu. (*c*)

(*a*) c. 1. & tot. tit. de Cler. Venat. ext. de Cler Venat. c. 1. dist. 34 c. exau. 89. dist. clem. 1. §. porro à Venatione de statu monachi & ratio hujus est hæc potissima, quia venatoria officia humano abesse debent. l. cruentas spectacula Cod. de gladiat. cum & Romulus sacerdotes per omnem Vitam militaribus officijs solutos esse vo-

rit, tradente Henrico Salmueth in notat. ad lib. 2. verum memorabil. Guidonis Panueli tit. 3. de aucupio. Quod limitatur si ejusmodi personæ saltus proprios aut ferarum vivaria haberent, quorum redditus ex sola Venatione consisterent, vel venandi jus in aliorum agris seu nemoribus permissum illis esset, tunc etenim eis per constituto ad hoc venatores laicos, non vero per se ipsos venari licet. D. Clem. 1. §. porrò ibi gl. & cano. communiter de statu monach. Panormitan. post Hostiens. in c. 1. de cler. Venatore. Item in jure piscandi quod eis non minus ac laicis licitum est. C. 1. 2. de Cler. Venat, C. 1. ne clericu vel monachi c. 1. & 2. 34. dist. ratio disparitatis est, quia piscatio non est est exercitium adeò cruentum & athleticum sicut venatio. Harprecht. lib. 2. §. feræ Inst. n. 87. VVesemb. in paratit. lib. 41. hoc tit. n. 7. (b) quilibet enim sic suo jure uti debet, ne tertio periculum aut damnum adferat juxta regulam secundum universalem juris sc. alterum non laedere, item quod cum damno alterius nemo debeat locupletari l. nam hoc naturaff. de Cond. indeb. quin imò sub generalissima dispositione & concessione no censetur dispositnm & concessum esse in damnum tertij vel proximi. (c) arg. l. sive generalis 61. in pr. ff. de jure dot. eo quod in omni etiam licito actu juxta illud Poëta:

Est modus in rebus, sunt certi denique fines,  
sit observanda aliquaratio.

#### IV.

**I**Tem diebus festivis (a) & jejunijs. (b)

(a) juxta tertium Decalogi præceptum, item c. quoniam in parte 3. ac sequenti ext. de feriis, & l. 3. Cod. eod. Ratio ne impediatur debitus Dei cultus, bene tamen in férijs saecularibus, cum hæc ratio cesset, & ex in Ecclesia pro nullis habeantur c. cum decorum de vit. & hon. cler. (b) c. quid prodest 12. & sequenti distinct. 86.

#### V.

**E**T in alieno fundo privato facta prohibitione à Domino, Nam talis actione injuriarum à Domino conveniri potest. §. feræ 12. Inst. lib. 2. de rer. divis. & ibid. Harprecht. Schneid. Mynsing. item L. 3. ff. ne quis in loco publi.

#### VI.

**V**Trum autem neglecta Domini prohibitione fundum ingrediens volucres & feras captas sibi plenè acquirat, aut à fundi Domino restituere cogatur: mirificè disceptatur, nobis negativa arridet.

arg. §. 12. Inst. lib. 2. de rer. divis. & l. 3. §. 1. ff. de acqui. rer. dom. non enim pena privationis locum habet, nisi in casibus à jure expressis. Novel. 2. c. 3. vers. sicut enim ibi nec quælibet est lex; atqui in proposito casu expressum, nullo jure reperitur, ergo. Secundò quia restitutio præsupponit habitum, at qui Dominus loci neq; Dominium neq; possessionem earum ferarum habuit. arg. §. d. 12. Castalius in l. divisus 16. ff. de servitutib. rustico: prædi. Mynsing. Schneidv. Wessenb. & infiniti alii DD.

#### VII.

**S**Ed adhuc major est quæstio, an quis pisces in alieno lacu vel stagno captos suos faciat? nos affirmativam tuebimur.

Per L. 3. item feras §. 14. ff. de acquir. vel amitt. Possess. ubi etiam de piscibus

in lacu alieno positis disertè responsum est, eos non possideri ab eo, cuius est lacus, cum tamen de lacu privato qui vendi potest JC. loquitur, res enim publicas vendi non posse perspicuum est. §. ult. Inst. de empt. & vend. Harprecht. §. fera 12. Inst. de rer. divis.

### VIII.

**V**enator quidem contra prohibitionem & monitionem Domini in fundo eius circumiens ab illo propriâ auctoritate expelli (a) non autem detineri & in carcerari potest. (b)

(a) gl. in L. 3. in verb prohiberi ff. cod. l. 20. §. 1. ff. ad leg. Aquil. eo quod ingrediens contra prohibitionem vim facere videatur arg. L. vim facit 11. ff. devi & vi armat. atq; vim vi repellere licet L. ut vim 3. ff. de just. & jur. L. sententiam 45. §. qui cum aliter ff. ad leg. aquil. (b) quoniam privata capture & incarceration illicita est, & crimen læsi. Majest. talis committit L. un. Cod. de privat. carceribus. tot. tit. ne quis in causa sua judicet. Nov. 134. c. 7.

### IX.

**A** Deò ut nec Domino directo, in fundo alteri in feudum concessio liceat venari.

Ratio, quia feudum nihil est aliud quam ususfructus quidam rei immobilis seu æquipollentis sub conditione fidei & servitorum constitutus. c. 1. §. fin. in quib. causis feud. amittitur lib. 2. tit. 23. Vultius lib. 1. de feud. c. 2. n. 9. atqui concessio ususfructu omne commodum ad usufructuarium pertinet: L. ususfructus 7. L. item si 9. ff. de ususfruct. nec in præjudicium ejus quidquam Dominus directus agere potest. L. sed si 15. §. ult. cum LL. sequent. ff. de ususfr. L. fundi 38. ubi gl. & DD. ff. de usu & ususfruct. leg.

### X.

**V**Trum autem fera in alieno fundo meis irretita retibus ante apprehensionem mea fiat dubitatur? negativam sequimur.

Per L. in laqueum ss. ff. de acq. rer. Dom. & arg. §. 13. Inst. de rer. divis. ratio quia licet etiamsi irretita sit ut se explicare non possit, tamen multa intervenire & vel maximè prohibitio Domini aut repulsio ut eam in meam omnimeam potestatem redigere non possim d. §. 13. Inst. L. 3. §. 1. & L. naturalem §. favos ff. de acqui. rer. domi.

### XI.

**P**orrò inter animalia differentia facienda est, eo quod aliqua naturaliter sint fera (a) alia quidem naturâ fera, sed hominis industriâ mansuefacta (b) alia deniq; naturâ mansueta. (c)

(a) §. 14. Inst. de rer. divis. veluti Apes, Leones, Lupi, Vrsi, Gallinæ & Anseres feri (b) sunt quidam lepores & cervi, qui in sylvas ire ac redire domum solent. §. 15. Inst. lib. 2. de rer. divis. (c) cuiusmodi sunt gallinæ domesticæ, boves, oves, &c. §. 16. Inst. eodem tit.

### XII.

**N**aturâ fera fiunt capientis ejusq; tamdiu manent, quamdiu in custodia coercentur vel saltem conspectum non effugient, aut ita in conspectu nostro sunt, ut non difficilis eorum sit persecutio.

§. feræ 12. Inst. hoc tit. l. 3. §. quidquid L. Pomponius 44. ff eodem Hostiens. in sum-  
man. 4. de restitut. spoliatorum Schneidvv. lib. 2. hoc tit. §. 14. & seqq.

### X III.

**Q**uod si ad naturalem libertatem sese receperint fiunt ca-  
pientis.

L. 3. §. 2. & L. 5. §. Pomponius 44. ff. eod. tunc enim nostra desierunt esse. Schneidvv.  
inst. §. 15. n. 1. Inst. eod.

### X IV.

**N**aturâ fera sed hominum industriâ mansuefacta, eousque  
nostra sunt, donec animum habeant revertendi, quod ex  
redeundi consuetudine judicatur.

§. Pavonum 15. Inst. lib. 2. hoc tit. L. naturalem 5. §. 5. ff. de acq. vel amitt. possess.  
adeò ut si intercepta ab aliquo fuerint, aut à revertendi consuetudine quoquo  
modo aversa, in eum actio furti competit, cum nec nuda etiam spes reverten-  
di quam habet Dominus in ejusmodi animalibus mansuefactis ei interverti  
debeat. L. Pomponius 8. §. 1. ff. fam. Ercif. L. si Pavonem 37. (ubi de mansuefacto  
pavone loquitur) ff. de furto. Sebas. Med. de venat parte 2. q. 37. Mynsing in d. §. pa-  
vonum n. 4. Cæterum quandoquidem hæc revertendi consuetudo jure defini-  
ta non sit, sed in mero facto consistat, idcirco ex signo & circumstantijs per ju-  
dicem judicanda est. L. 1. §. ult. ff. de jure delib. L. continuus 137. §. cum ita ff. de V. O.

### X V.

**N**aturâ mansuetâ venari non licet & quamvis turbata con-  
spectum nostrum effugerint, non fiunt occupantis, sed de-  
tinens easfurtum comittit.

§. gallinarum 16. Inst. eodem. L. naturalem 5. §. 6. ff. hoc tit. L. Pomponius 8. §. 1.  
ff. fam. Ercif. Ratio quia occupatio in ijs tantum locum habet, quæ nullius  
sunt §. feræ 12. Inst. eod. & ea quæ jam alicujus sunt quemadmodum sunt ejus-  
modi animalia, ea sine facto nostro nobis afferri nequeunt. L. id quod nostrum  
ii ff. de R. I.

### X VI.

**H**actenus dicta de jure communi procedunt, ex constitu-  
tione verò FRIDERICI Imperatoris omnibus præsertim ru-  
sticis & agricolis venatio in locis publicis interdicta est.

C. i. si quis rusticus de pace tenenda & ejus violatoribus in usibus feud. & hoc quidem  
optimo jure, ratio, quia Princeps publicorum locorum tūm ex legum con-  
cessione, tum etiam superioritatis, præminentia ac præscriptione Domini  
sunt, arg. L. litora 3. ff. ne quid in loco pub. L. deprecatio 9. ff. ad Leg. Rhod. de Caii. L.  
2. ubi Bald. Cod. de quadr. præscri. Cum intersit Reipl. ut subditi magis proprio  
officio quā venationi vacent. L. penult. & ult. Cod. de cohortalibus, facileq; evenire  
posset ut sub prætextu venationis arma ferrent, rixas excitarent, homicidia  
atque latrocinia in publicæ pacis detrimentum committerent, meritò venatio  
prohibita est, Fachineus in dd. controversijs lib. & cap. 1. vers. sept. Wesenb. hoc lib.  
& tit. n. 7.

### X VII.

**E**Ius successores verò non modò in locis publicis verùm et-  
iam privatis ac proprijs agris venari prohibuerunt sed hoc,

an jure vel injuriā factum sit? disceptatur: nos hoc optimo iur  
factum esse defendemus.

Princeps etenim ex justa & rationabili causa, veluti publicae utilitatis gra-  
tia jus quælitum alteri afferre potest. *L. item si verberatum 15. ff. de rei vind. L.*  
*Lucius 11. ff. de evi ct. L. adficia 14. Cod. de aper. publ.* ergò multò magis potue-  
runt & possunt interdicere jus venationis, quod in mera & valde fallibili spe  
consistit. *arg. L. non debet 21. ff. de R. I. & c. cui licet 53. n. 6.* Reipublicæ namq; in-  
terest periculi vitandi, & pacis tuendæ gratia, ne quilibet, utatur armis, com-  
munitas etiam plerumque discordias parit. *L. cum pater 77. §. 20. ff. de legat. 2.*  
*L. in re 26. ff. de servit. præd. urb.* & hanc tanquam veriorem opinionem tenent Wesenb.  
in parat. ff. hoc tit. n. 7. *Fachin. lib. 1. controu. c. 1.* Arumæus exercit. *Iust. 4. thes. 9. ac*  
*innumerabiles alij.*

### XVIII.

**S**ed utrum etiam eodem jure Electores, Principes, Duces,  
Marchiones, & aliæ liberæ Civitates suis subditis venationem  
interdicere possint magis est controversum? in hoc casu quoq;  
magis affirmativæ adhærebimus.

Ratio quia ejusmodi superiorem non recognoscunt, sed perpetuam ac  
regalem jurisdictionem, eandemq; potestatē, quam Imperator in suis jurisdictionibus habet, cum Imperator hujusmodi dignitatis personas investiens  
omnem potestatem, quam ipse habet in his territorijs in tales personas con-  
ferre videatur. *arg. text. in c. 1. §. fin. quibus mod. feud. amitt. lib. 1. tit. 5. §. rei autem*  
*de invest. & text. l. 7. & 9. ff. de usu fr. generaliter etenim Vasallus omnem utili-  
tatem, quam ipse investiens habebat, tenere censetur. Bald. in L. 1. q. 43. ff. de*  
*rer. drvij.*

### XIX.

**Q**uod si per nimiam ferarum multitudinem & grassaturam  
segetes, & fructus in fundis vicinis destruantur, tum ij,  
quibus hæc facultas venandi concessa est, ad refusionem da-  
mnorum sunt obligati.

*arg. l. 2. §. fin. ff. si quadr. pauper. feciſ. dicatur. L. item mela 11. item cum eo & l. qui*  
*occidit 30. §. 3. ff. ad leg. Aquil. Gail. lib. 2. obser. 68. n. 10. Dom. à solo de lust. & Iur. lib. 4.*  
*q. 6. art. 4. Treutler. volum. 2. disput. 20. hoc tit. thes. 3. lit. A. pulchram hujus rationem*  
*assignat Gail. dict. obser. 68. n. 10. quod ejusmodi feræ vel sunt communes, & tune*  
*juxta dictas eas cuilibet venari licet, si vero propriæ Dominorum ad estimationem*  
*damni utili. L. Aquil. vel de pastu pecoris actione aut ex edicto, si quadr. pau-*  
*per. feciſ. dic. merito tenentur, per text. in c. fin. §. quod si animalia de injuriis & dam-*  
*dat. glo. ibid. in verb. animalia text. in L. fin. Cod. ad L. Aquil. & in L. quamvis ff. eod.*  
*Nisi consuetudine contrarium esset receptum, quæ consuetudo licet dñra sit,*  
*tamen toleranda est. L. hoc jure 3. §. duetus aquæ ff. de aq: quotid. & æst. c. super qui-*  
*busdam 26. §. præterea ibid. Canonista d. V. S.*

### X X.

**Q**uæ hactenus adductæ venandi prohibitiones, non mo-  
do ex ordinaria supremi Principis potestate (a) verum &  
vel maximè ex immemoriali legitimè facta præscriptione pro-  
cesserunt. (b)

(a) Èò quod propriè Principum sit Reip. omni modo consulere, quod etiam in prohibitione venationum tuendæ pacis & societatis ac ad alios magis necessarios labores homines excitandi gratia factum esse videtur. Per L. cum Pater 77. §. dulcissimis 20. ff. de leg. 2. l. qui neq; 8. ff. de reb. eor. qui sub tutel. L. si sortem 16. §. si certum ff. de cond. indeb. Sichard. n. 5. Cod. de donat. arg. auth. agricultores c. quæ res pign. oblig. posses. L. 2. de nundinis L. 1. de feriis Zannet. tract. de publ. Venat. n. 42. & seqq. (b) quippe licet ea, quæ sunt mera facultatis, qualis etiam est Venatio præscribi nequeant: Rom. commun. conclus. tit. de præscript. conclus. 10. n. 1. Schneid. lib. 2. de præscript. Attamen hoc dum demum procedit, si nulla superioris prohibitio intervenerit, hac quippe interdicente, & res quæ in mera facultate consistunt, præscribantur, dummodo qui prohibitus est, per tempus jure determinatum in prohibitione acquieverit. L. si quis diurno 10. ff. de servit. vind. l. hoc autem 6. ff. de servit. Urb. Præd. Panormit. & Francisc. Ripa in c. cñm Ecclesia. 3. de causa posses. & propriet. Covarr. in c. possessor 2. de R. J. in 6. èò quod per ejusmodi prohibitionem quis constituatur in quasi possessione, & sic præscribere ejusmodi juri libero possit, quomodo tradit Zoannettus in tract. de dupl. renat. intelligendam esse L. 7. si quisquam ff. de divers. & temporal. præscript.

### X X I.

**A** Mittitur quoque jus venandi expressa renunciatione domino facta (a) contolidaione. (b)

(a) arg. L. si precario 17. in fine ff. com. pred. 1. 8. ff. quemadmodum servitus amittatur L. 6. ff. de servit. (b) L. 1. ff. quemadmodum servitus amittatur. l. 16. ff. de servit. Urban. prædiorum.

### X X I I.

**R** Ecuperatur autem venandi facultas vel per Principis benignam concessionem (a) contractum (b) ultimam voluntatem (c) aut immemorialem præscriptionem. (d)

(a) qua cum ampla sit Esdræ lib. 3. c. 3. & nec quisquam dicere possit, cur ita facis? Ecclesiast. 8. cum ea terminis limitari non possit, Proverb. 25. non mirum quod ablatam potestatem venandi restituere possit (b) si quis enim Vicino aliquod jus constituere velit pactiōibus & stipulationibus id efficere debet. §. ult. Inst. de servit. prædiorum & cum alias conventio lex sit. L. eadem lege Cod. de condic. ob causam datam. meritò conventio partium servanda est. L. 1. §. si convenerit ff. de pactis (c) quod licet inter vivos licebit quoque in ultima voluntate. d. §. ult. Inst. de servit. pred. vel maximè cum ejus sacrosanctum est elogium, cuius non amplius reddit arbitrium. L. 1. Cod. de sacro sanctis Ecclesiis (d) C. super quibusdam 26. §. præterea ibi glos. de verb. signif. Alexander conf. 6. l. 1. Rolandus à Valle confil. 66. n. 60. quæ habetur loco tituli legitimè adquisiti Felinus in c. accedentes col. 2. de præscript. & veritati aquiparatur. Bald. confil. 24. lib. 4. Borcholt. in explicat. c. un. quæ sunt regalia. n. 17.

### X X I I I.

**Q** Uòd si alicui, castrum unà cum suis pertinentijs datum sit, etiam jus venandi tanquam annexum collatum esse cenletur.

arg. l. 2. §. rectè Neratius ff. si servit. vind. ubi afferitur, quod usufructuario alicujus fundi facultas competit utendi servitute eidem fundo debitâ, ergò etiam Venatione, quæ servitutibus realibus quasi adnumeratur. Gail. lib 2. obs. 66.

66. ubi allegat. *Zas. lib. 2. c. 11. per tot. §. aq. Inst. de act. idem cons. 6. incipit illustris n. 30*  
*lib. 2. Ratio quia à sylvis tanquam prædio servienti servitus illa venandi castro*  
*vel Villæ tanquam fundo dominanti debetur: servitutes etenim non perso-*  
*nis sed prædijs debentur. L. unus ex sociis ff. de serv. rustic. præd.*

### X X I V.

**A** Deò, ut nec Princeps qui ejusmodi jūs alteri in sua sylva  
concessit ex postfacto in ea sylva venari (a) vel arbores  
proceras & ramolas cumulatim excidere & ad quæstum suum  
privatum transferre possit. (b)

(a) Ratio quia cum Dominus proprietatis in re fructuaria nihil fa-  
cere nihilque instituere possit, quod in præjudicium ac detrimentum usufru-  
ctuarij tendat, & per quod fructus ad usufructuarium pertinentes diminuan-  
tur. *L. sed si quid 15. §. ult. & leg seq. ff. de usufr. L. fundi 38. ubi gl. & DD. ff. de usu*  
*& usufr. leg. ergo neque Principi Venari licebit in ejusmodi sylva ob paritatem*  
*rationis juxta vulgaria juris. (b) ratio hoc fraudi & damno esset alteri servitu-  
tem venandi habenti, atqui nemo propria authoritate & absque causa servi-  
tutem recte constitutam deteriorem facere potest. text. notab. in l. servitutes §.  
si antea ff. de servit. urb. præd. text. in l. si quid §. proprietatis ff. de usufr. Gail. lib. 2.  
obseru. 67. n. 6.*

### X X V.

**Q** Uod si tamen alicui jūs venandi majores feras v. g. Leo-  
nes, cervos, ursos, &c. concessum sit, non licebit ei minor-  
es v. g. Lepores ac Vulpes capere.

*arg. L. servitutes 4. ff. de servit. l. certo generi 13. ff. de servit. rust. præd. L. si sic*  
*constit. 7. ff. quemadmodum servit amittit. L. si prius 17. ff. de aqua pluvia: arcend. Ratio nam*  
*modus sicuti servituti, ita & venationis concessioni adjectus strictissime ob-  
servari debet, juxta d. L. servitutes 4. ff. de servit. L. certo generi 13. ff. de ser-  
vit. præd. rust. item arg: L. diligenter 5. ff. mandati.*

### X X VI.

**N**EQUE tributo jure venandi, jūs aucupandi, & piscandi  
concessum est.

Ratio quia separatorum separata est causa, & ex separatis nihil infertur.  
*Everhardus in loco legali à separat. 18. at venationem esse specie distinctam ab au-*  
*cupio & piscatione, elace scit ex l. item 9. §. aucupiorum ff. de usufr. differunt autem*  
*vel maxime ratione objeci & loci. Secundò etiam habent diversa nomina,*  
*ergo & diversos effectus, prout ait Gothofr. in L. 7. C. de codicill. arg. l. naturaliter 12.*  
*§. nihil commune ff. de acqua: vel amittit. poss. item ea quæ notabilia vel diversa sunt,*  
*nisi manifestè exprimantur, pro omissis habentur. L. item apud 15. §. 26. ff. de injur.*

### X X VII.

**A**NVERÒ hoc jūs venandi, quod Principes & Comites, ac e-  
jusmodi personæ in prædijs alienis habent, sit servitus, aut  
qualis? ingens inter DD. est certamen, nos id servitutem realem  
esse asserimus.

*Zas. §. aq. Inst. de act. n. 24. & seq. idem cons. 6. incipit illustris n. 30. lib. 2. Gail.*  
*lib. 2. obs. 61. per tot. quia à sylvis tanquam prædio servienti servitus illa venan-*  
*di vel castro vel villæ tanquam dominanti fundo debetur. Gail. d. loco, item*

quia servitus venandi sicuti cæteræ reales servitutes, ad hæredes transit, & pro ea afferenda datur contra quemcunq; sylvæ possessorem actio in rem confessoria. *juxta text. in l. 2. ff. si servit. vind. & ita teste Gaius d. obs. 66. lib. 2.* consuetudine observatur in tota Germania, nec juxta hanc opinionem in Camera Spirensi judicatum fuisse se meminisse afferit. Has sequuntur Hieron. Schurff: *conf. 1. cent. 3. n. 42. Hartman. pract. obser. lib. 2. c. 4. Treutler. disput. 20. thes. 3. lit. 6. vol. 2. Georg. Mor. in tract. de jure venandi parte 2. cap. 3. n. 4. & seq.*

### X X V I I I.

**C**æteròquin si quis in hac constituta venandi facultate turbetur, vel eā uti prohibetur contra turbantem vel impudentem interdicto uti possidetis vel confessoria actione expiundi potestatem habet.

*L. 1. §. fin. ff. de aq. plu. arcenda. l. sicut 8. §. Aristot. in fine L. 2. L. si quis 10. §. ult. ff. de servit. vind. §. aq. 2. ibid. Zus. n. 27. Inst. de act. Gail. obs. 66. lib. 2. Reus itaque victus refusis actori damnis exturbatione illatis sufficienti præstata cautione securum reddere tenetur, neque se neque successores suos deinceps venandi servitute facientem impedituros esse. tex. in l. harum act. 7. §. 12. gl. in in d. l. 2. in verb. qui negat. ff. si servit. vindicetur. Bart. in l. 1. §. interdictum. n. 5. & 10. cum sequent. ff. uti possidet.*

### X X I X.

**P**œna autem in eos qui contra Principum prohibitiones venari attenant, si in edictis non est expressa erit arbitraria (a) alioquin si expressa sit dummodo ea pro venatione prima capitalis non sit, sed pecuniaria, vel carceris &c. tum omnino illa est irroganda. (b)

(a) & agitur contra ejusmodi feridas actione injuriarum *L. injuriarum. 13. & ult. §. de injurijs*, quæ licet extra ordinem etiam criminaliter intentari possit, tamen §. pœna autem, & in §. *summa Inst. de injur. l. ult. ff. de privat. delict.* attamen pœna in tali casu ad mortem extendi non debet per text. *in l. hodie 13. ff. de pœn. & L. 11. ff. eod.* nimis etenim durum, & nimis iniquum, crudele, inhumanum ac rationè dissentaneum foret, pro abjectissima bestia hominem tanti à Deo æstimatum plecti. *Franc. Zoannet. de dupl. venat. n. 99. & in l. 2. n. 192. Cod. de pac. inter empt. & ven.* (b) *Domini. solus lib. 4. de iust. & iure q. 6. art. 4. Fach. lib. 1. controvers. c. 1. §. tercia conclusio.* venationem autem iterantes non solum in famosa columna publicè poni & ex provincia relegari, aliâve corporali pœnâ coerceri possunt, si ita facti & personarum qualitas exposcat. *L. nemo 3. circa fin. Cod. de Episc. aud. L. capitolium 28. §. solet, & §. grassatores ff. de pœn. l. defertorem 3. §. si plures ff. de re milit. l. 8. §. 1. Cod. ad l. Iul. de vi pub.* in quibus legibus clare habetur crima repetentes & frequentantes graviori pœna afficiendos esse.

### X X X.

**I**mò si reiteratis vicibus Principis edictum contemnere visi & incorrigibiles facti sint, pœnâ capitali plecti possunt.

Capitali enim periculo cupiditas eius amovenda & prohibenda est, si in ijsdem sceleribus perseveret *l. 1. Cod. de superexactoribus*; & hoc non principali- ter propter feras, quam contemptum summi Principis. *Fachin. in controv. lib. 1. cap. 1.*

cap. 1. in fin. Harprecht. lib. 2. §. fere 12. num. 3. 15. & sequent. institut. hoc tit.

X X X I.

**C**oronidis loco quæritur, an deportatus ac hodierno tempore præscriptus seu bannitus, jūs venandi amittat in pri-  
ori negativam (a) posteriori verò affirmativam tuebimur.

(a) quia deportatus tantum ea perdit quæ sunt juris Civilis, non autem  
ea, quæ sunt jurisgentium. L. sanc*t* quidam 17. ff. de pœnis L. inter 6. ff. de interd. &  
releg. at non contractus tantum plerasq*e* juxta L. 5. ff. de l*ust*. & l*ur*. L. jurisgentium in-  
pr. ff. de part. Peregrin. de jure fisci lib. 3. tit. 5. n. 8. & seq. sed & Dominum perle-  
gitimam præscriptionem consecutum jurisgentium esse eximij DD. tradi-  
runt Ius. in l. fin. n. 2. Cod. si contr. jus vel utilit. publ. Bald. in L. 1. n. 4. Cod. de jure.  
areulor. Parisiens. Conf. 1. n. 108. (b) in ord. Camera p. 2. tit. 9. §. So jemands Mysing.  
cent. 5. obs. 78. n. 3. ratio disparitatis est, quia prior non perdit vitā & sic nec ea,  
quæ sunt jurisgentium, secus autem posterior, qui post præscriptionem effi-  
citur Vogelsfren per d. ord Cam. part. 2. tit. 9. §. so jemands vers. so bald.

PERILLUSTRI, GENERO-  
SO, AC DOCTISSIMO DOMINO  
DEFENDENTI.

**I**gnoras venator apros; venare Leones,  
Indidit hæc certo torva Diana Tibi:  
**N**ec trepidus Patriæ Genius nunc retiatendis;  
Ast tu tela, canes, spicula torta cave:  
**N**am dulci suades venandi jure Leones,  
Et Tibi trifaucum Claudia præda foret.

Patrij amoris ergò accinuit.

CHRISTIANVS KRIEGL, Carinthus  
Clagenfurten: Phil. & I. V. Baccal:

E I D E M.

**N**Umuè feras, pisces, aut insectare volucres,  
Quidni? per medium Cæsarlis Oceani:  
Sistito, solve feras legum rixas Generosè,  
Ampla tibi, ut nosti, jure trophæa forent.

Ex singulari affectione applausit

HENRICUS PINGELIUS, Aisfeldiacus'  
Phil: Abs: I. V. Bacc, nec non Auth: Cæ: Nota: Publ:

## E I D E M.

NObilitas nunc sola sibi venacula poscit  
Plebeoq; negat lustra anesq; joco.  
Illustri te bis de stemmate prodis, utrumq;  
Dum scis, venandi jura ferasq; sequi.

Ita Fraternè apposuit

SIGISMUNDVS NORBERTVS Hadmer,  
Nob: Igävienfis, Phil: Absol: I.V. Baccal.

## E I D E M.

I Ure doces cinctæ studia exercere Diana,  
Quid mirum? Ultravis pallade doctus ovas.  
Delius applaudat jaculis, cornuq; Diana  
Latratuque canes, plaudat & ipsa Themys.  
Sylvanustereti sculpat tua nomina fa go.  
Quæ satyri, Dryades, & nemus omne legat.

*Indissolubilis fraternitatis & amoris ergo subjinxit.*

HENRICUS HERINGK, Hamburgenf:  
A.A.LL. & Phil: Mag: Cath. Eccl: Lubec: Can: I.V. Stud.

## E I D E M.

IVstIltæ sCanDIsc ColLes, faVtrICe Diana  
ClnCtVs, VenatV tVtVs honor tVVs est.

## A L I V D.

IVris in immenso saltu, nec desine, curras  
Iuridicam certè, curreferam capies.

Amicè congratulabatur

FRANCISCVS PETRVS GREIN,  
Trevirens: I. V. Studiosus.

## F I N I S.

